

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 87. (*Neovidensis* 1805. Nro. 84.)

Ex Campis Elysiis

Sermo Politicus

De universalibus terrae calamitatibus.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 5. Nov. 1805. (Neov. 18. Oct.)

Obsecratio:

A fame, peste, & bello — libera nos Domine!

Litanix.

Contra quodlibet malum habebant veteres certas preces. Hæc est consuetudo jam dudum a Patre Homero observata. Fames, pestis, & bellum sine dubio gravia sunt mala, quibus Majores nostri sæpius opprimebantur. Hac de causa supplicibus Ecclesiæ precibus inserta est obsecratio: A fame, peste, & bello — libera nos Domine!

Barbari septentrionales, utpote Vandali & Gothi animadvertentes, Romanorum equites in sericeis pulvillis bibere vinum falernum, atque elegias Catulli cantare, & Dithirambos Anacreontis, intulerunt immensam eorum potentiam flaccescere. A polo ardi-

co turmatim advolarunt, quærentes mitius clima, per quas transierunt provincias, depopulati sunt, semper ultra proficiscentes; ut satiari possent, gerebant bella absque promptuariis, unde famem, pestem, & bellum nasci necesse erat. Divisis demum romanæ dominationis manubiis constiterunt in regionibus, in quibus tandem rus coluerunt. Sacra Christianorum emolliiverunt eorum mores; Monachi agriculturam perfecerunt, & Christi disciplinam professi religioni sibi duxerunt violare patrimonium alterius. Fames, pestis, & bellum erant rariora, & homines cœperunt magis gaudere de suo quietiore statu.

Eædem tamen terræ calamitates, quæ jam rarius comparebant, iterum invaluerunt. Verum sæculo 18 cogitatum est de remediis, hæc communia mala exterminandi. Contra famem attulit ex America hispanicus nauta solanum tuberosum, nutrimentum tale, quod defectum panis supplet, & quo hoc magis colitur, eo rarius fame urgemur. Pesti per id impedimentum positum est, quod politica instituta ubique in meliorem ordinem redacta sint, & Medica ars invenerit methodum naturam morborum magis perspicendi. Flava febris, quæ anno superiore in Hispania grassabatur, non est egressa Malacam, & oras maritimas, ejus communicatio de tempore adhuc præcisa est. Sed bellum! hæc tristissima calamitas, ex qua perumque ceteræ omnes gignuntur! contra hoc nullum hacten-

nus potuit inveniri pharmacum. Hoc hodie,
dum sævit, & furit, rogemus itaque Deum:
A fame, peste, & bello libera nos Domine!

Prodivit quidem in Europa contra bellum jus Gentium; sed uti quidam scriptor bene observat; duo sunt fontes, ex quibus jus potest deduci; alter fons est intellectus, qui ostendit, quid fieri debeat, alter experientia, quæ docet, quid fiat. Si intellectus determinaret omnem proportionem inter Status Europæos, emaneret omnis injustitia, nullum daretur bellum; uniuscujusque regni libertas, & existentia conservaretur, nemini Imperantium incidereet miscere se in interna aliorum negotia, liberum exerceretur inter Gentes commercium, nemo invidiose æmularetur alienam potentiam, nemo cogitaret de occupationibus; verbo: regnaret pax perpetua. Ast, proh dolor! sic non vivitur in Europa. Crudelis experientia in memoriam revocat unicuique jus gentium, quod modo inter gentes Europæas viget, originem suam non trahere ab intellectu, sed ab experientia quadam. Gentes pollent vi, vis itaque est fons, ex quo jus gentium Europæum deducitur. Quod quis facere potest, id ei licet, & quo majoribus instructus est viribus, eo plura possidet jura. Vis gentium consistit in exercitu, & tormentis; Hi sunt judices, qui de mutua regnorum comparatione, de eorum existentia, & interitu, de felicitate, & infelicitate generis humani ferunt sententiam.

Cum itaque jus gentium Europæum, prout hoc ex ista deductione patescit, in majore vi fundetur, hæcque sola edicat, quid jure fieri debeat, semper penes potentissimum jus est. Quo plures aliqua provincia numerat milites, & tormenta, eo plura potest jure postulare, quibus obtinendis si par sit, male agit ea negligendo. Quemlibet contractum, quodlibet factus tamdiu tantum debet observare, quamdiu viribus destituitur contrarium faciendi. Si opportuna se offerat occasio imperii fines proferendi, judicetque se feliciter suum finem consecuturam, injuste agit, si non illico vindicet sua jura. Si etenim superior evadat, etiam juste egit. Non nisi victus est injustus, non nisi infelix meritas dat pœnas, non enim habuit jus ad pœnendam actionem, seu caruit viribus physicis ad eam in actum deducendam. Historia docet, hoc principium fuisse a Gentibus, tam in agendo, quam judicando observatum; & si danur quipiam Novatores, qui hoc sanctum, & antiquum jus nolunt agnoscere, qui illud inter monstra referunt, sunt ab igne fatuo — ab intellectu — in errorem inducti. Dies diem docet, semper penes potentem esse jus, & debilem nullo gaudere; illius victoriis omnia gubernari in hoc planeta; maleque facere victum, si conqueratur, id illi evenit, quod ejus facta merentur.

Nunc novæ miseræ enatæ sunt, quas nostri majores ignoraverunt. Jure possemus

tales fundere preces. Ab illocatione militum, ab eorum exactioibus, a recusoribus alienorum librorum, a debitoribus solvendo imparibus, libera nos Domine!

Sed jam arma per totam Germaniam concrepuere; quod hactenus de bello scimus, in sequentibus consistit:

Stutgardia 15. Octobris Nullas habemus relationes de conflictibus, qui post repressum Gallorum impetum contra Cæsareum exercitum ad Ulmam in sinistra Danubii ripa 11. Octobris in eadem vicinia intercessissent; Hoc tamen constat, præter notabilem partem exercitus Mareschalli Ney, alias etiam gallicas copias in dextra Danubii ripa proficisci versus Mindelhemiam, & Memmingam. Contra Austriacus exercitus se per sinistram Danubii ripam extendit. Nudius tertius 13. hujus venerunt Heidenheimium Austriacarum copiarum 4. circiter legiones peditum, & 400. equites ab urbe Ulma, qui sequenti die affuturas plures legiones edixerunt. In vicinia etiam ad Goppingam, Urach &c. visi sunt nuper iterum Austriaci sed in minore copia.

Ab Ulma, Augusta Vindelicorum, ex Bavaria &c. nullos plane accipimus nuncios. Gallici milites, & etiam peregrinantes affirmant, Gallos Duce Bernadotte, & Bavaros jam occupavisse Monachium, viciniamque Ratisbonæ, & magnam partem Baviaræ, prin-

ceps hospitium Imperatoris esse Fridebergæ, eumque jam etiam Monachii fuisse.

Sua Serenitas Elector die 7. cum consensu sui populi jussit colligi duo millia tironum,

Parisii 13. Octobris. Heri Monitor Argentorato de 9. Octobr. sequentia retulit: Imperator die sui discessus ex arce Ludoviciana in comitatu Principis Pauli invisit munimentum Hohenasberg. Noctem transegit Gemundæ. Die 6. per Aalam profectus est Nordlingam, inde die 7. Donaverdam. Exercitus citatis passibus properat ad Danubium. Sua Majestas iter facit inaudita celeritate. Inde ab urbe Aala cœnavit, & dormivit in illis domibus, in quibus prius hostis morabatur. Heri die 8. Mareschallus Kellermann cum suis præcipuis ducibus, uti etiam ablegati a Tribunatu ad Imperatorem, Imperatricem salutarunt. Præses Tribunatus Fabre de l'Aude coram Imperatore dixit orationem. Sed etiam 22 matronæ ex primariis Argentorati familiis eadem die ad Imperatricem adductæ sunt.

A die hesterna rumor percrebuit, & quidem, ut videtur, minime falsus: Ex Rupeforti iterum excurrit classis, quæ in introitu ad Canalem plures divites naves ex India orientali advententes una cum bellicis eas comitantibus cepit.

Senator Gouvion, qui olim multum contulit ad pacem in provinciis australibus restituendam, præerit 5 legionibus peditum, uni equitum, & uni tormentariæ in oris maritimis excubantibus, hospitium habiturus Mediolani Santonum.

Petropoli 25. Septembris. Suam Cæsaream Majestatem iter facientem pauci tantum mandatorum executores, & nonnullæ de collegio negotiorum externorum personæ cum necessaria Cancellaria, quæ paucis ante diebus præcesserant, comitabuntur.

Latus Imperatoris stipavit unicus mandatorum executor, item Sua Excellentia Dominus Novosiltzoff, & Aulicus Mareschallus Comes Tolstoi, qui cum copiis in Pomeraniam discessit. Primum concedet Imperator Villnam, deinde Bresiciam. Quamdiu autem sit domo abfuturus, non constat.

Comes Tolstoi erat jam in prociectu abeundi Holmiam, & inde Stralsundam, repente eidem nuntius significavit, non esse amplius necessarium terrestre iter, eapropter nocte diei vicesimæ secundæ Corona vela solvit.

Bellicus Minister antiquus ille navalis dux Svistonov, ante discessum suæ Majestatis insigne a suo Monarcha fiduciæ accepit documentum, illi enim tempore suæ absentia

contulit quadam ratione plenam rerum agendarum potestatem, & præcepit, ut eidem fiant omnes tam civiles, quam militares relationes.

Magnus Dux Constantinus jam prius demigravit ad exercitum.

In nostris maris Balthici portibus plures adhuc vectoriæ naves conducuntur.

Stralsunda 8. Octobris. Hodie pars præsidiariorum se itineri accinxit versus viam Gryphisvaldensem.

Russorum 15000. consistunt in provincia Loicana, Lassana, & Grimmica. Piores adhuc copiæ expectantur ex Svecia, pro quibus jam etiam hospitia indicta sunt.

Russicus Generalis Tolstoi, qui russicas copias, huc jam advenientes, & etiam adventuras moderatur, circa meridiem isthuc appulit Ustadio.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales prostant :

Gruberi (C. A.) Elogia, & Epigraphica. Quibus accedit Diagnôsis librorum ab arte Typographica inventa, usque ad annum 1560. typis editorum. Posonii 4. 40 kr.
Csétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Historiája, három rézre metszett képekkel III T. maj. 8. 1805. 5 fl.
